



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Antonii Sucquet E Societate Iesv Via Vitæ Æternæ**

**Sucquet, Antoine**

**Antverpiae, 1630**

Epilogus ad B. V.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54856](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54856)

EPILOGVS OPERIS  
ET  
ORATIO AD B. VIRGINEM  
MARIAM,

**E** Mensus sum, o stella maris, Beatissima Mater, hanc triplicem Viam, non meis viribus; sed tuo unius post Deum presidio, te pralucente quasi ad portum appuli, sed stylo, non vita; non facti spatio, sed voto ac desiderio. Hoc verò ne inane sit, ne, cum aliis predicavero, ac viam ostendero, ipse reprobus efficiar, obsecro te, ut efficiat per te Christus IESVS, via vita, & veritas, & vita: non solum autem in me, sed in omnibus qui hæc legerint, & oculos ad te suos exules filii Evæ levarint. Et verò quò eos levare, quò se possunt convertere tempestate jactati nisi ad te, quæ es portus omnium in te sperantium! quo luctantes cum contrariis tentationum ventis in nocte tristitiæ, nisi ad te, quæ es stella matutina & aurora consurgens? quo peregrini & advena, nisi ad te, o janua celi: ut per te in terram promissionis, in patriam, ad quam vocati sumus caelestem perveniant, & hauriant salutem à Domino. Accipe, precor, hæc vota mea, & omnium qui ad te suspirant, accipe, quod Dominus hic per me operari dignatus est; tibi enim ea accepta fero atque offero, ut per viam istam & veritatem quotquot ambulamus, perveniamus ad vitam æternam, IESVM Christum filium tuum. Amen.

F I N I S.